DISSERTATIO HISTORICA
DE

DONATIONE CONSTANTINI MAGNI

Sylvestro Papae (ut dicitur) facta

Quam

DEO ANNUENTE.

Placidae eruditorum ventilationi
subjiciunt

PRAESES

M. GEORG. CHRISTOPH. SYLVIUS,
HAMBURGENSIS.

&

RESPONDENS

FRANCISCUS HENRICUS HÖLTICHIUS
Lauenburgensis.

Ad diem 26. Julij. A. M DC LXII,
In Auditorio Minori horis Antemeridianis.

Witteb. Typis JOHANNIS BORCKARDI.

DONALDSONE

Jehova Juva!

Secularis Romanorum Pontificum potestas, à quo deducenda sit tempore, hactenus inter omnes decisum non est; cum alij ad ipsa *Eccleſię* N.T. incunabula, alij ad cessantis & exspirantis in Italia Exarchatus tempora, alij deniq; ad Imperium Constantini M. potestatem hanc referant. In quo sententiarum divortio maximè conspicui sunt, qui ex liberali Constantini M. donatione Pontifices hoc jus obtinere asserunt. Verum enim vero, uti ipsa, quam sibi putativi hi Petri succesſores sumpserunt, potestas, fictitia est, omniq; caret fundamento; ita & ipsa illa, quam, pro innata sibi malitia, finxerunt, Constantini M. donatio, ejusdemq; miraculosa à lepra sanatio, omnibus sanioribus rationibus destituta est assertio. Constantinum enim M. lepra fuisse percussum, & à Sylvestro Pontifice Romæ baptizatum, ac propterea eidem ac omnibus ejus Succesſoribus, quartâ post baptismum susceptum die, palatium non tantùm, & omnia Imperialia indumenta, verùm etiam Romanam urbem, & omnes Italiæ, occidentalium item Regionum provincias donasse, fabulosum, & à veritate historica alienissimum esse, subsequens docebit tractatio. Quod ut feliciter procedat, Deum calidissimis invocamus votis.

§. 1. Atq; ut ordine singula delibemus, principio mirari satis nequeo, maleferiatos quosdam homines eò impudentiæ processisse, ut non veritisint, Constantino M. lepram assignare, cum tamen apud Eusebium & alios ejus temporis fide dignos historicos, altum hac de re sit silentium: Verum orta videtur hæc fabula de lepra Constantini M. ex turpi ἀνιςορησία, & confusione ejusdem cum Constantino Copronymo. Hunc enim morbo, elephanticum quem appellare autores consueverunt, laborasse non tantùm, sed & tandem exstinctum eodem esse, historiæ prodiderunt annales, ut ita ex vera priorum

posteriorumq; temporum historia, falla, confutis dolis, ut *Clar: Boxhorn: hist: univ: p: 281.* loquitur, exstructa sit.

§.2. Introducit equidem *Bartholomæus Pincernas*, (vel ut alij eum vocant, Picernus,) *de monte arduo*, ad Julium II. Pontificem Maximum, in versione latina paginę istius historicæ, S. donationis Constantini M. hunc imperatorem de morbo suo querulantem, & ex consilio Divi Petri & Pauli Sylvestri auxilium implorantem: verum historicos si consulimus scriptores, hi non tantùm lepræ ne verbulo quidem mentionem faciunt, verùm etiam quam plurimi eorum testantur, Constantinum M. baptismum ad ultimum usq; vitæ terminum distulisse, & tandem, non Romæ, sed Nicomediæ baptizatum esse. Ita enim hac de re *Socrates l.1. hist. eccles. c.26 Imperator Constantinus, sexagesimum quintum ætatis annum ingressus, in morbum incidit, ac Constantinopoli decedens, Helenopolin ingicit, balneis aquarum naturâ calidarum, quæ ibidem sunt in proximo, usurus: ubi verò morbo gravius afflictabatur, lavationem balnearum distulit. Helenopoli autem abscedens, Nicomediam rectà proficiscitur; illic in suburbio commorntus, lavacro baptismatis, quod est Christianorum proprium, tingitur.*

§.3 Huic subscribens *Sozomenq l.2. hist. eccles c.ult. Constantinus*, inquit, *Helenopolin advenit, balneis suâ naturâ calidis usurus, ac cum morbo vehementius urgeretur, Nicomediam deportatus est. Ibi autem cum in suburbio commoraretur, Sacrosancto Baptismatis mysterio initiatus est.* Neq; abludit ab hoc *Theodoretus*, in hunc modum Imperatoris nostri baptismum describens: *l.1. hist. eccles. c.32. Cum Imperator esset Nicomediæ, graviter ægrotare cœpit, cumq; secum consideraret, quàm incertus sit vitæ humanæ exitus, donum sacrosancti baptismatis accepit.* Rationem quoq; hujus rei subjungit, inquiens: *Ad hoc tempus illud ideò distulerat, quod magno desiderio tenebatur, hoc salutare lavacrum in Jordane fluvio percipiendi.*

§.4. Imo *Eusebius*, qui in vita Constantini M. describenda prolixissimus est, tantum certè sanationis miraculum silentij nube non involvisset, verùm eodem planè modo baptismum de-

describit, *l. 4. de vita Const. inini M. c. 61. & 62. Cùm primum, inquit ille, oboriretur ei inæqualis quædam corporis intemperies, ad eam vehementior dolor accederet, ad calida civitatis balnea proficiscitur, & inde ad civitatem matris suæ cognominem, ubi in martyrum ædes sacra diu versatus, multiplices preces, & vota publica Deo exhibuit. Ut verò ei in mentem venit extremus ejus vitæ dies, existimaretq; hoc tempus oportunum esse, ad delenda illa erratæ, quæ, quoniam mortalis erat, admisemt, crederetq; arcanorum mysteriorum efficaciâ, & salutari lavacri initiatione mentem expiari; hæc, inquam, cum ei in mentem venirent, humi procumbens genibus, & in ipsa martyrum ædes errata sua confessus, supplicem se Deo offerebat: Ubi primùm manuum per precationem impositione dignus est habitus: inde discedens, ad suburbana Nicomediæ civitatis pervenit, & convocatis Episcopis, ita fere ad eos locutus est. Quam Ego, Fratres, avidâ mente, omnibusq; votis, à Deo salutem, multis hisce annis deprecatus sum, eam nunc hodiernus dies à me vehementer exspectatus attulit: Tempus est igitur, ut tandem insigni illo, per quod immortalitatem adipiscimur, perfruamur. Quod ego, etsi in illius Jordanis gurgitibus, in quibus Salvator noster ad nostrum exemplum baptizatus esse memoratur, facere constitueram, tamen Deus, quod mihi maximè accommodatum est, cernens, hoc in loco iisdem mysteriis dignatur. Et paulò post subjicit: Illi verò, (Episcopi) sacrorum religione consummatâ, adhibitisq; statis divinæ institutionis ceremonijs, arcànorum eum participem faciunt.* Ecquis vero constanti horum autorum relationi assensum denegaret?

§. 5. Excipit quidem *Baronius ad Annum Chri 324.* complures Eusebium secutos esse, esse tamen eum Arianorum signiferum, qui in gratiam Constantij, Imperatoris Ariani, & Arianorum patroni, hæc ipsa conscripserit, unde ad acta Sylvestri, antiquitus Romæ à catholicis legi solita provocat: cæterum hęc acta Sylvestri, quæ exstant tum apud Græcos, tum apud Latinos, ipso Baronio fatente, in nonnullis sunt depravata. Hinc procedit ad acta Liberij; sed nec horum actorum magna est autoritas, id quod itidem Baronius fatetur, dum asserit, non con-

temnenda esse PRORSUS, non OMNINO ea à majoribus fuisse neglecta, & quod maximum, MULTIS oblita esse MENDIS. Nituntur Ergo eodem cum actis Sylvestri fundamento. Hinc ipse *Raphael Volateranus*, postquam baptisterium Constantini Romæ conspici asseruerat, & ei inscriptos notarat versiculos sequentes:

Insons esse volens, isto mundare lavacro;
Seu proprio premeris crimine, seu patrio.

Statim subjungit: *Libellus apocryphus de elephantia, de sanguine puerorum, & Sylvestri baptismate, cum manifestè à nostrorum Doctorum, Hieronymi & Ambrosij, autoritate dissentiat, omnino rejiciendus.*

§.6. Et huic marcido & carioso fundamento, cum superstructa sit jactata à Pontificijs Constantini M. donatio, quid mirum est, si quoq; hæc, remotis hisce fulcris, corruat. Non equidem inficias ibo, inusitatam & propemodum stupendam fuisse Constantini M. in sinceros Ecclesię Christi Doctores liberalitatem, unde eam tàm magnificè deprædicat *Euseb. l. 1. de V. C. c. 35.* inquiens: *Ecclesiis copiosa suppeditavit subsidia, templa in sublime exstructa exadificataq; adauxit, plurimis monumentis augusta Ecclesia sacraria illustravit, variâ pecuniarum largitione egentium inopiam sublevavit.* Quod & facit *l. 2. de V. C. c. 36.* cujus hęc inscriptio: *Quibus de sanguine nemo superfuerat, iis Ecclesia instituta fuit hæres, si quid tamen hi vivi cuiquam dedissent, ratum id firmumq; permaneret.* Et *l. 4. de V. C. c. 28.* idem testatur: *Ecclesias Dei, incredibile est, quot ornamentis locupletarit, cum aliis agros, aliis annonam, ad pauperes orphanos miserasq; mulieres tuendas & alendas donaret.*

§.7. Donationem verò ipsam quod concernit, de ea ne verbulum quidem, apud probatos ac omni dubitatione majores reperias autores, sive qui illo, s. qui immediatè sequentibus seculis vixerunt; s. qui Sylvestri reliquorumq; Pontificum, s. qui Constantini M. & succedentium Imperatorum vitas literis consignarunt, ut ex Eutropij, Ruffini, Sozomeni, Eusebij, Socratis, Theodoreti, Evagrij, Orosij, Bedę, Pauli Diaconi, & aliorum scriptis manifestum est. Etsi n. hi optimam com-

me-

memorandæ donationis Constantini occasionem habuerint, nemo tamen horum vel minimam ejus mentionem facit, ecquis vero animum inducet, ut credat, eos tanto silentio rem tantam *prætermissuros* fuisse? Imò B. Blatina, qui vera de vitis Pontificum scripsisse existimatur, quippe cum ea ex publicis tabulis aliisq; legitimis documentis, deprompserit, in quibus res gestæ Pontificum historicâ fide continentur, teste. *B. Gerb. pastrol. p. 686.* sicco, quod dicitur, pede, hanc donationem præterit, cum tamen donaria aurea & argentea, quanti fuerint pretii, fundos item, hortos & similia, per donationem Sylvestro Pontifici collata; prolixâ serie enarret, in vita Sylvestri p. m. 95. seqq.

§. 8. Accedit, quod non pauci è cœtu Pontificiorum, hanc Constãtini M. donationem Cretensium fabulis accenseant, inter quos facilè primas tenet *L. Valla*, Patritius Romanus, Canonicus Ecclesiæ D. Joh. Lateranensis, Pontificisq;, Secretarius, qui integrum de hac donatione edidit libellum, publicéq; eam in consessu virorum summorum perstrinxit. Judicium a. de hac donatione *Valla l. c. p. 397.* tale fert. *Non ferum hanc contumeliam fieri Pontifici optimo Sylvestro, ut dicatur, Imperia, Regna, Provincias, accepisse, quibus renunciare etiam solent, qui clerici fieri volunt. Pauca possedit Sylvester, pauca ceteriq; summi Pontifices. Recentes v. summi Pontifices impÿ sunt & stulti, qui priscorum egregias laudes omnibus probris vincunt.* Et *p. 762.* pergit: *Donatio illa, unde natum esse suum jus summi Pontifices volunt, Sylvestro pariter & Constantino fuit incognita; nec non p. 782. Nonne videtur hic autor fabulæ, non per imprudentiam, sed consultò & deditâ operâ prævaricari, & undiq; ansas ad se reprehendendum præbere. Non invenio, quibus verbis, quâ verborum atrocitate confodiam hunc perditissimum nebulonem, ita omnia verba plena insaniæ evomuit.*

§. 9. Nugivendulus Ergo est autor paleæ Constantinus dist. 96. quem *Cl. Boxbornius hist. univ. p. 275. seqq.* ubi integrum edictum, è quo palea hæc desumpta, recenset, facillimo negotio refutat, e jusq; vanitatem ex eo demonstrat, quod illud Consulum par, quod autor paleæ commemorat, nunquam Con-

su-

sulatum simul gessit. *Leguntur quidem*, (verba sunt modò laudati Autoris) *Ovinius Gallicanus & Septimius Bassus, non Gallicanus & Constantinus conjuncti Consules. Hos tamen conjungit fictæ donationis autor, ut simul & mendacem & incautum se se ostendat.*

§. 10. Præterea omnes scriptores historiæ ejus temporis notant, Imperatorem Filios hæredes Imperij constituisse, & inter eos Regiones divisisse, id quod clarè testatum reliquit *Socrates l. 1. hist. Eccles. c. 25.* scribens: *Porrò autem ex tribus filiis summam animo percepit voluptatem, quos singulos, ad decimum quemq; imperij sui annum, Cæsares renunciavit. At maximum natu, quem suo ipsius nomine nominaverat Constantinum, decimo anno Regni sui, partibus Imperij in Occidente sitis præfecit; secundum, quem avi nomine Constantium appellaverat, vigesimo anno, partium Imperij ad Orientem spectantium Cæsarem declaravit: tertium, qui minimus natu erat, Constantem nomine, trigesimo anno Cæsarem creavit.* Ex quo loco Socratis manifestissimè annotescit donationis falsitas, cui conjungi possunt *Euseb. l. 1. de vita Constantini c. 5. & Theodoretus lib. 1. histor. Eccles. c. 32.* Imo historiarum ejus ævi scriptores omni exceptione majores testantur, non Italiæ tantùm, sed imprimis Romæ urbis Imperium, penes Constantini successores, & Imperatores, per annos circiter centum & quadraginta constanter permansisse, usq; ad Imperatorem Augustulum, quem Odoacer Gothorum Rex Italiâ expulit, urbe Româ potitus Anno 476 quo tempore Romanum Imperium in occidente desecit, Barbaris & Romæ & in Italia regnantibus.

§. 11. Huc etiam facit, quod ipsi Pontificij sibi in hac re non constent. Hi enim tâm ratione donatoris & donatarij, quam rei donatæ, & temporis factæ donationis inter se dissonant. Modò enim Constantino hanc acceptam ferunt donationem, modò Pipino, modò Carolo M. modo Ludovico Pio. Si autem semel Pontifici cessissent hæc dona, quorsum hac novâ Principum horum munificentiâ ac liberalitate opus fuisset? non enim possum acquirere, quod jure dominij jam meum est. Deinde non minor occurrit controversia, circa ipsum

psum donatarium, dum â quibusdam Sylvestro, ab alijs Melchiadi, (seu potius Miltiadi) ejus antecessori adscribitur. Deniq; circa ipsam rem donatam intricata est variatio: alius n. vult sedem imperialem, alius Palatium Lateranense, alius dignitatem Regalem, alius universum Occidentis imperium, alij aliud statuunt. Autor paleæ Palatium Lateranense, Romanam urbem, & omnis Italiæ, occidentalium item provinciarum ac ditionum dominium conjungit. Quæ omnia quomodo invicem conciliari possint, adversari viderint, ut de scripturarum in hac donatione contentarum varietate & contradictione nihil impræsentiarum dicam.

§. 12. Sed videamus tandem vanitates & absurditates dictæ paleæ, & decreti, ubi primo, quod de elephantiasi dicitur, jam antea suis evulsum est sedibus, quinimo ipse *Platina* fabulam esse censet, *in vita Marci 1. Pontificis p. m. 103.* ita scribens; *Quod Constantinus M. in lepram incidcrit, baptismoq; (ut vulgo dicitur) mundatus sit, consilio â prius, de sanguine infantum, nescio quâ fabulâ, nullo modo credo, Socratem hac in re secutus, qui affirmat, Constantinum ipsum, ubi sexagesimum quintum annum attigisset, agritudine captum, ex urbe Constantinopoli ad aquas calidas egressum, valetudinis causâ, nullâ de lepra mentione habitâ. Præterea verò hac de re â nullo scriptorum sit mentio, non dico ab his, qui Ethnici sunt habiti; sed â nostris quidem: Non reticuisset hoc Orosius, non Eutropius, non illi qui Constantini res gestas diligentissimè scripsere;* Hactenus Platina. Deinde apparitio illa Petri & Pauli, quę fingitur, figmentum est priori de lepræ sanatione simillimum, cùm nihil frequentius sit, quàm ut â Curiæ Papalis parasitis varia consuantur figmenta, ut miraculorum falsò creditorum numerus in Papatu incrementum magis magisq; sumat, ac fraudulenta Regiminis Papalis dignitas clarius emineat. Deniq; falsùm est, quod asseritur, Constantinum instituisse, ut sedes Romana principatum habeat super quatuor præcipuas, Antiochiæ, Alexandriæ, Constantinopoleos, & Hierosolymorum: cum tamen Constantinopolitana sedes nondum constituta, nec urbs ipsa ædificata fuerit; sed

paulo post ab ipso Palcæ autore dicatur, quod Imperator congruum perspexerit, Imperium & Regni potestatem in Orientalibus transferre Regionibus, & in Bizantię provinciæ optimo loco nomini suo civitatem ædificari, & Imperium ibi constitui: Unde ipse Baronius fateri cogitur, ex hoc donationem Constantini ambiguam reddi potius quam probari. Concludimus Ergo, falsam esse relationem hanc, quia, si quarta die post Constantini baptismum factum est hoc edictum, ut habent Latina exemplaria, non potuit in eâ Imperator Constantinopolitanę sedis meminisse, cum nomen Constantinopolis non dum esset notum. Sed tantum.

S. D. G.

QVis non commendet Studium, quod sedulus urges,
SYLVI, Dulce mihi, Gratiolisq; caput.
Macte, Tuum celebrent qvum nostra Lycea laborem,
Hinc majora Tibi nemo negare potest.

Doctissimo DN. RESPONDENTI
Gratulab. f.
ÆGIDIUS STRAUCH.
Theol: Lic:
P. P. & h.t Decanus.

Ad
Eximium D. M. Sylvium, publicè primâ vice præsidentem, Amicum meum.

Sylvius ingenio magnus candoreque clarus,
Conscendit nostræ pulpita magna scholæ.

Res

Res benè ſuccedet, quia pendet ab ore docen-
tis,
Atque ſuas Muſas continuare ſtudet.
Ipſe tuis ſummum Flamen conatibus opto,
Sertaque verticibus nobiliora tuis.

Michael VVendelerus,
D.& P.P.

Mihi JESU Præſis!

Euſebiæ placuere Tui *Sophiæq;* labores;
Hinc quæ, SYLVIADE, grata redire putem?
Scilicet ut dignos SOPHIE decrevit honores;
Sic etiam EUSEBIE præmia larga dabit.
Auguror hæc vates, nec ſpe lactabor inani:
Namq; quis eſt fruſtra, quem PIA MUSA juvat?

Clariſſimo DNO. MAGISTRO PRÆSI-
DI, Amicorum ſuorum bonoratiſſimo,
honoris atq; Amoris ergò L.M.Q.f. Wit-
tebergæ

M. Johannes Peißker/
Langenbergâ Variſcus.

Quàm benè rebus, AMICE, tuis nunc, OPTIME, præſis,
Pulpita conſcendens publica, ritè doces.
Ergò Tuas ſummus PRÆSES Res dirigat omnes,
Ut Nomen vigeat, laus tua, honorq;, vovet

M. VINCENTIUS PETRÆUS
Hamb.